

no 1543. Tigurina versio Bibliorum latinè edita est, opera Leonis Iudæ, Pellicani, Bibliandri. Hanc Robertus Stephanus biennio post in sua editione ad veterem adiecit, suppressa eorum, qui in illa laborarunt, mentione: et Hispani Theologi diu post recognitam denuo Lugduni excudendam curauerunt. Est ergo Tigurina & Vatablina versio vna & eadē; quia Tigurina versio Vatablinę nomē tulit per errorē Lectoribus, & ipsi etiā Genebrardo in Chronologia, à Roberto obiectū: quanquā idem Genebrardus, Præfatione in Origenem ambigit, an versio hæc sit Vatablo adscribenda, propter ineptiam inquit, nam Vatablum aut malitiosissimum aut Hebraica lingua ignarissimum fuisse; si eius sit hæc versio: quippe quam pessimè potuit maximam partem & potiorē Scriptura conuertit, velut de industria à litera & sensu discedens, & data opera aberrationem à veritate Hebraica appetens, ut eum dum lego, & cum Hebraico confero, mihi videar in alio mundo versari, & non sacras literas legere, sed fabulas è sacris literis deductas & delineatas, sed faragines è verbo Dei & humanis cogitationibus consarcinatas, quæ non tam ad veritatem, quam